



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ  
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum  
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &  
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,  
plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Sententiæ declaratoriæ suspensionis contentæ in 6. Omnis utriusque  
sexus, de pœnitent. & remiss. Form. I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

# FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM

Fori Ecclesiastici.

## PARS TERTIA.

### TITULUS II.

De Censura Suspensionis in particulari.

*De suspensione, seu depositione contenta in c. omnis  
utriusque sexus de pœnit. & remiss.*

**C**ontingit (licet rarò) aut ex Confessoris levitate, aut ex ejus lubrica linguæ loquacitate, aut humanæ naturæ (quæ prona est ad malum) infirmitate, confessionem Sacramentalem directè, vel indirectè revelari: ideoque, quia materia gravissima est, & exemplaris: Ordinarius, habita criminis patra- ti notitia etiam ex officio contrà revelantem procedere non omittat, reoque sine strepitu vocato, & audito, si de delicto non plenè, vel si plenè, non tamen malitiosè, & ex proposito, sed ex levitate revelasse constet, ab audiendis confessionibus eum suspendat, & etiam in aliam pœnam extraordinariam condem- net, præmissa sequenti declaratoria.

Sententiæ Declaratoriæ.

### FORMULA I.

**V**isa informatione capta super sigilli Sacramentalis fractione, & Confessio- nis revelatione per Presbyterum Confessarium N. facta, eoque vocato, & in defensione sua audito, *attento quod constet sigilli Sacramentalis fractio- nem non ex proposito, sed ex levitate, & inadvertentiâ licet culpabili, sine damno pœnitentis processisse: dicimus, & declaramus prænominatum N. esse perpetuò ab audiendis Confessionibus, nec non à Divinis per annum sus- pendendum, prout nos vigores præsentium perpetuò à Confessionibus, & res- pectivè per annum à Divinis suspendimus, & suspensum denunciâmus, & hanc sententiam eidem intimari mandâmus &c.*

N. Episcopus N.

N. Attuario.

M 2

SUM-



## SUMMARIUM.

- 1 Criminis fractionis sigilli confessionis cognitio, pertinet privatim ad Episcopum.
- 2 Episcopus, in quibuscunque delictis ad suum forum spectantibus, procedere potest ex officio.
- 3 Judex absque sacrilegio non potest procedere pro delicto revelato à Confessario.
- 4 Fractio sigilli confessionis respicit non tantum pœnitentem, quam ipsum Sacramentum, cui per revelationem fit injuria.
- 5 Delictum revelationis confessionis, quomodo probetur, & qua pœna puniatur, ostenditur, & n. 6. 7. 14. 15.
- 8 Licentia pœnitentis data confessario revelandi peccatum, debet esse libera, & expressa, & non debet ea uti nisi ex causa gravi, & n. 9.
- 10 Confessarius, non debet uti scientia peccati pœnitentis, quam habet aliunde, nisi in re gravi, & magna necessitatis.
- 11 In violatione sigilli Confessionis non datur parvitas materię.
- 12 Sigillum confessionis durat etiam post mortem pœnitentis.
- 13 Confessarius Regularis, si sit fractor sigilli confessionis, punitur ab Episcopo jure delegato.
- 14 Duo testes singulares, probant revelationem confessionis.
- 16 Processus, contra Confessarium fractorem sigilli, debet constitui secreto, & datur modus servandus, & n. 17.
- 18 Inquisitus, & condemnatus de crimine fractionis sigilli Confessionis, an appellet, ostenditur.

## ADNOTATIONES.

- 1 **VISA INFORMATIONE CAPTA.**  
Cognitio criminis revelationis confessionis, & fractionis sigilli, ad Episcopum privatim pertinet: nec Tribunal S. Officii in hoc se ingerit, nisi in casu, quo Confessarius crederet licitam esse revelationem, secreti Sacramentis, vel aliunde esset de heresi suspectus, ut de praxi

testatur Caren. de Sanct. Offic. par. 2. tit. 17. §. 23. n. 91. & seqq.

Hunc autem processum potest, & debet Episcopus, sive ejus Vicarius construere remedio inquisitionis ex officio, etiamsi Confessarius de revelatione non accusetur: quia interest bono Ecclesię, ut hoc crimen non relinquatur impunitum: nec in dubium revocatur, quod Episcopus in quibuscunque delictis ad suum forum spectantibus, procedere potest ex officio, ut de consuetudine generali testatur Farinac. de inquisit. quest. 1. n. 9. & 10. ibique Vulpin. n. 3. Conciol. resol. crimin. vers. inquisitio resol. 1. num. 1. ubi concordantes communiter.

Nec processum retardare debet reflexio quod cum sigillum confessionis sit inductum jure positivo Ecclesiastico favore pœnitentis, non possit de illius violatione inquiri, nisi ejusdem Sacramentaliter confessi interveniant consensus, seu querela, cum ejus intersit, ne sua peccata detegantur in foro, & publicentur, quia tunc fieret injuria pœnitenti, & Sacramento, quoties Judex indicio habito revelationis Sacramentalis, vellet processum instruere, & agere, pro peccato, seu delicto revelato contra ipsum Sacramentaliter confessum, aut illius complicem quod absque sacrilegio, & fractione sigilli facere non posset, & ab hoc omnino abstinere debet, ut tradunt Caren. loco citato n. 88. Lazar. q. can. sect. 2. q. 17. n. 6. Malder. in opusculo de sigill. confess. c. 27. pag. 177. & seqq. del Rio disq. mag. lib. 6. sect. 2. §. Ex hoc autem pag. 657. Navar. in manual. Conf. c. 8. n. 7.

Secus autem quando Judex procedit contra Confessarium sigilli violatorem, quia tunc jus pœnitentis, non læditur, imo vindicatur, dum injurię sibi illatę per revelationem, paratur vindicta: Et licet sigillum confessionis sit inductum favore pœnitentis, tamen principaliter jure Divino ex institutione Christi respicit Sacramentum, de cujus ratione, & substantia est quod sit secretum, Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 38. n. 14. & sic quamvis pœnitens possit favori suo renunciare, dando scilicet facultatem Confessario, ut possit ex aliqua justa, & gravi causa peccatum confessum manifestare, ut



ut contra Scot. tenent cum Divo Th. in summ. suppl. 3. part. q. 11. art. 4. communiter DD. morales: non potest tamen præjudicare rationi Sacramenti, neque impedimenti esse, quod pro injuria gravissima eidem Sacramento per revelationem peccati illata, Confessarius contra bonum commune non puniatur, & quæ ad utilitatem publicam instituta sunt frustrantur, Amen. de dilect. & pœn. tit. 8. §. 4. abusus in confessione num. 10. & 11. D. Urfay. Instit. crim. lib. 1. tit. 10. §. 2. n. 154.

- 5 Dubium igitur solum oritur circa probationem delicti, & pœnæ mensuram, in quo dubio solet adhiberi distinctio: aut enim pœnitens obiicit Confessario revelationem confessionis, & tunc onus probandi se revelasse de licentia ipsius pœnitentis, vel peccatum revelatum scivisse aliundè, incumbit Confessario, præsertim quando ex revelatione sequitur detrimentum pœnitentis, vel alterius: nam tunc præsumptio stat contra eum, ut sigillum confessionis servetur illæsum. Undè ut Confessarius pœnas fracti sigilli, & suspensionis, ac molestiarum evitet periculum; cautela datur, ut licentiam revelandi in scriptis à pœnitente recipiat, Biss. Hierurg. lib. 5. num. 145. §. 5. Aut revelatio confessionis obiicitur à tertio, & tunc accusanti incumbit onus probandi, Confessarium revelasse absque licentia pœnitentis, si ipse Confessarius asserat illam habuisse: defectum autem licentiæ tertius accusator probabit, ostendendo Confessarium revelasse simpliciter coram pluribus, nihil addendo de licentia revelandi: Confessarius verò tunc poterit se tueri, vel pœnitentis attestazione: vel ostendendo se, quod manifestavit, extra confessionem accepisse: quod si hoc probare uno, aut altero modo non valeat, tunc licet ei non sit credendum, adhuc non pœna ordinaria perpetuæ depositionis, aut ultimi supplicii, sed extrà ordinem erit puniendus arbitrio Judicis, ut tradunt Menoch. de arbitr. cas. 414. n. 8. Ricc. dec. 190. n. 4. par. 1. Graff. dec. aur. par. 1. lib. 1. c. 23. n. 16. Bellet. disq. cler. par. 2. de pœn. cler. §. 31. n. 14. & 15. Bonac. de Sac. pœn. disp. 5. q. 4. sect. 5. pun. 2. n. 4. Nicol. lucubr. can. Monacel. Formul. Pars. III.

lib. 5. tit. 38. n. 81. Mart. del Rio disq. mag. lib. 6. sect. 2. §. penul. pag. mihi 658. ubi arbitratur, quod si desint testes, Confessario bonæ famæ asserenti cum juramento id, quod revelavit rescivisse extrà confessionem, credendum sit, & eum sequitur Lazar. qu. can. sect. 2. q. 17. n. 3. in fin. quæ opinio fortè amplecti poterit in praxi, quoties aliud non occurrat, quod contra revelantem præsumptionem augeat, Malder. de sigill. confess. cap. 11. §. Illud certius.

Et ex his evincitur, quod cum ad accusandum Confessarium de revelatione Sacramentalis confessionis admittatur tertius, ut volunt mox citati DD. nullus exigitur consensus pœnitentis, cujus peccata revelavit, in fabricatione processus: & fit palam quod Judex ex officio de hoc crimine potest inquirere, & si pœnam ordinariam taxatam in cap. Sacerdos de pœnit. dist. 6. & in d. cap. omnis utriusque sexus de pœn. & remiss. ob defectum plenæ probationis, vel perfectæ consummationis delicti, irrogare non valet, secundum casuum circumstantias, pœnam minuere potest, & infligere, Biss. hierurg. lit. P. nu. 156. §. 1. Fagn. in c. officii num. 41. de pœnit. & remiss.

Et est notandum, quod licentia pœnitentis revelandi suum peccatum (quam ad sui libitum revocare potest, Nicol. loco sup. cit. d. n. 53.) debet esse libera, & spontanea, & nullo modo precibus extorta: debet esse expressa, non tacita, sed virtualis, præsumpta, aut interpretativa: debet dari ex causa justa, & magni momenti, ut puta bopi publici, aut corporalis, vel spiritualis boni pœnitentis: nam ex causa levi revelare, etiam habita permissione confitentis, sacrilegium foret, ut ajunt Graff. loco citato nu. 13. & del Rio d. sect. 2. pag. 657. vers. duo denique.

Secundò notandum, quod scientia peccati pœnitentis, quam Confessarius habet aliundè, uti non debet, nisi in re gravi, & magnæ necessitatis, vel ubi periculum, aut scandalum ad hoc cogat, ut docet Innocen. in d. cap. omnis utriusque sexus in fin. nam facile scandalum sequeretur, quando sine utilitate, vel necessitate revelaret, quod cavere debet, nè fractor sigilli reputetur, ut monet D. Thom.



Thom. in sum. supplem. par. 3. d. quest. 11. art. 4. Del Rio ubi supra vers. secundus casus : & actione injuriarum, & ad interesse parti teneatur, Graff. d. c. 23. n. 28.

- 11 Notandum tertio, quod circa violationem sigilli Confessionis non datur parvitas materiæ, & includitur non solum peccatum mortale, sed etiam veniale, imo, & circumstantia per quam peccatum detegi potest directe, vel indirecte, prout est DD. communis sententia, de qua Navar. in man. c. 8. n. 3. Nicol. loco citato nu. 20. & 42. Bonac. ubi supra pun. 1. num. 5. vers. ex quo patet Graff. d. c. 23. n. 31. Malder. de sigill. confess. d. c. 11. Biff. hierurg. d. lit. 5. d. n. 145. §. 13.
- 12 Notandum quarto, quod Confessarius revelans confessionem, dicitur fractor sigilli, etiam si pœnitens, cujus peccata revelavit, jam pridem vita functus sit, quia secretum confessionis durat etiam post mortem, Graff. d. c. 23. n. 32. Nicol. loco cit. n. 70. ampliat. 36. del Rio loco, quo supra d. sect. 2. vers. notandum secundo pag. 655. Ex qua verissima propositione, prosternitur illa opinio, sive doctrina, quæ docet, quod in cognitione hujus criminis, & punitione delinquentis exigatur consensus pœnitentis : nam si talis assertio vera esset, Confessarius post illius mortem posset impune sigillum Confessionis, quod adhuc durat, violare ; quia defuncti pœnitentis consensus ad inquirendum non posset haberi, quod quam sit absurdum nemo non videt.
- 13 Notandum quinto, quod de hoc criminis non tantum Confessarius sæcularis sed etiam Regularis accusari potest, & contra eum inquiri ab Episcopo : quia violans sigillum confessionis non solum peccat contra justitiam, sed contra Religionem peccato sacrilegii, & injuriam facit sacramento, quod cum obligatione secreti à Christo Domino institutum fuit : ideoque cum de necessitate sit, quod confessionem celet, ut inquit D. Th. in sum. supplem. par. 3. q. 11. art. 1. illam revelando, dicitur delinquere in administratione sacramenti, & subicitur Dixerunt Episcopo, tamquam sedis Apostolicæ Delegato vigore constitutionis Greg. XV. inscrutabili, de qua actum supra in tit. de cen-

sur. excom. ad form. 41. §. ult. Fagn. in cap. quanto num. 37. de offic. ordin. Lozer. de re benef. lib. 1. quest. 24. post num. 58. Pignatell. consul. 54. num. 77. tom. 7.

Attento quod constat. De fractione sigilli, sed revelatione confessionis constare dicitur, quando adsunt saltem duo testes, licet sint singulares, ut in puncto docet Caren. de Sanct. offic. par. 2. tit. 6. §. 7. post n. 52. quia ad comprobandum, quod in crimine sollicitationis admittuntur testes singulares, adducit exemplum criminis revelationis confessionis, inquitens -- Confirmatur à simili de revelatione confessionis, quæ licet uno teste non probetur, quoad effectum Confessarii condemnandi in pœnam ordinariam : at tamen dicta revelatio sufficienter probatur ex pluribus testibus singularibus quoniam alias veritas haberi non potest, ita Suarez tom. 4. in 3. par. de pœnit. disp. 33. sect. 8. n. 3. Henric. in sum. lib. 6. cap. 19. n. 10. igitur etiam in casu nostro &c. Hoc tamen intelligi debet, quando testes singulares non sint sibi contrarii singularitate obstativa, si agatur de probando unico actu.

Sed ex levitate. Hic exprimitur circumstantia facti, quæ minuit delictum ; nam Confessarius, qui relevat ex levitate, & non ex proposito, non damnatur in pœnam ordinariam, sed privatur in perpetuum facultate confessiones audiendi, & insuper ad tempus à Divinis suspenditur, prout ita declarasse Sac. Congr. Episc. refert Nicol. loco superius citato lib. 5. d. tit. 38. n. 17. qui est casus formulæ, si verò revelaret confessionem à se integrè non auditam, pœna extraordinaria Judici arbitraria esset puniendus Menoch. d. cas. 414. n. 7. si autem aliæ circumstantiæ delictum aggravantes concurrerent, v. g. aliquod damnum pœnitentis, vel tertii, scandalum plurimum audientium, mala fama Confessarii &c. tunc quamvis ex levitate revelatio sequuta sit, pœna extraordinaria aggravanda quoque erit, ut volunt DD. supra citati in §. Dubium igitur ; puta suspensione à Divinis ad triennium, vel pœna Triremium ad tempus.

Et hanc sententiam eisdem intimari mandamus. Regulariter Judex Ecclesiasticus, tamen sententiam excommunicatio-



cationis, quam suspensionis, & interdicti in scriptis prævia unica monitione, & cum causæ expresse ferre debeat, ut dixi in præludio: hic tamen antequam sententia feratur non est citandus reus ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus; sed constructo processu informativo, citandus est *ut compareat ad respondendum inquisitioni contra eum formatae de, & super Ec.* juxta stylum curiæ Episcopalis servari solitum in causis criminalibus, danda erit copia processus, cum præfixione termini ad faciendas suas defensiones, & postea concludendum in causa, reo citato ad sententiam.

17 Hæc tamen agenda erunt secreto sine strepitu, & sine publicatione, nè in plebe de hoc murmur oriatur, & confessio apud pusillos odiosa reddatur: ad quem effectum Episcopus in suis mansionibus testes recipiat, & examinet, quibus examinatis injungat præceptum de secreto servando (non tamen sub juramento, ut fieri solet in causis fidei, & beatificatione Sanctorum) citationes pro validitate processus exequendæ non per Nuncium publicum, sed per Cancellarium fieri committat, quas recepisse sua subscriptione reus ipse fateatur (dummodo reus hoc facere non recuset) quod faciet de aliis actibus pro legitimatione processus necessariis, quos si reus legitimare, & acceptare detrectet, & vult esse pro-

digus suæ famæ, tunc adhibeantur remedia ordinaria.

Lata super hoc crimine sententia, si 18 inquisitus appellet, illius executionem non poterit impedire: quia respectu suspensionis ab audiendis confessionibus appellatio est frustratoria, cum approbatio sit privative reservata Episcopo à *Conc. Trid. sess. 23. c. 15.* respectu verò ad suspensionem a Divinis per annum, cum agatur de materia mere spirituali, & que animam ligat, per sequentem appellationem non suspenditur, ut docet Sayr. *de censur. lib. 4. c. 9. n. 5. & 8.* Quidquid esset dicendum si ante sententiam suspensionis ab aliquo alio Decreto interlocutorio vim diffinitivæ habente, vel gravamine, quod per diffinitivam reparari non posset, fuisset appellatum juxta Decreta generalia *Clem. 8. de quibus par. 2. tit. 15. ad form. 2. n. 8.*

*De suspensione contenta in c. neminem  
&c. Sanctorum dist. 7.*

Quia in puncto juris, imò, & in praxi verior, & tutior est sententia quod qui ordinatur in factis sine, vel ficto titulo, incurrit suspensionem, ut probant auctoritates à me allegatæ *par. 2. tit. 13. ad form. 3. n. 4.* ideo hic reponitur formula declaratoriarum, qua Clericus, qui Episcopum decipit, erit suspensus denunciandus.

### Sententiæ Declaratoriæ.

#### F O R M U L A II.

V Ista relatione nostri Promotoris Fiscalis, & informatione capta, ex qua constat Clericum N. à Nobis ad Subdiaconatus, & Diaconatus ordines ad titulum ..... promotum, *prædictum titulum non habere*, nec possidere, illudque ante ordinationem (nos decipiendo) existere, habere, & possidere (falsò tamen) probasse: *eo prius monito* dicimus, ipsum N. suspensionem ab executione, & exercitio dictorum ordinum à sacris canonibus *ordinatis illicitè*, sine titulo inflitam incurrisse, & suspensum esse declaramus, & denunciamus: imò, & iterum eum jure nostro ordinario suspendimus, & intimari mandamus, omni &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

M 4 SUM-